

LXXXV

Psalmus. LXXXV. In quo monet ad orationem Ibristus ex forma serui ad patrem ait.

Inclina ad me (aures) clementie tue (et exaudi me) ut desideria mea compleantur: inclina dico (quonia inops) ab alio non habens opes (et pauper) pro me (sum) ex parte humanitatis loquitur que ex se nihil habere potest nisi quod largitate diuinitatis acceperit. In hoc exaudi me pater. Custodi animam meam et meorum ab omnibus scandalis contra insidiatores (quonia sanctus sum) in me et mei etiam sunt sanctificati in baptismo (saluum me fac) qui ex obedientia tua forma serui accepi et meos qui tibi unanimiter seruiunt (deus meus sperant in te). Misere mei domine quoniam ad te clamant pro seueriter et instanter (letifica animam serui tui) que multis amaritudinibus contristat liberando me ab eis (quoniam animam meam leuavi) pro deuotionem et ardentem amorem non deorsum declinavi ad terram sed leuavi (ad te) ubi est vera leticia et sine fine securitas. Ideo animam meam leuavi ad te. Quoniam tu domine suavis es quia post amaritudines huius seculi (dulcis es) ad te recurrentibus (mitis) quia diu sustines peccatores (et copiosus in misericordia) quia licet sint innumerosa nostra peccata multo abundantior est tua pietas que tot relaxat offensas (omnibus innocantibus te). Ideo Auribus percipe orationem meam et

intende voci deprecationis mee) dando effectum orationis mee quam pro me et meis fando. Tempore tribulationis mee clamavi ad te) licet enim omni tempore deus sit exorandus enixius tamen in tribulatione est invocandus (quia exaudisti me) pro tua clementia preteritis temporibus in alijs meis precibus. Merito clamabo ad te quia o domine. Non est similis tui in dijs) id est in potestatibus huius seculi siue in celestibus creaturis. scilicet nec in nobilitate substantie nec in magnitudine potentie nec in magnificentia (ad mirabilia operum tuorum) et generaliter non est qui similis sit tui ad quem clamare potuisses. tu me statim liberare potes pro tua voluntate. Vere non est aliquis similis tui quoniam. Omnes gentes) id est aliqui de omni gente (venient) per fidem de cultu suo (ad tuum cultum) te adorantes et venerantes (et glorificabunt nomen tuum) id est gloriosum predicabunt. Vere non est tibi similis. Quoniam magnus es tu) cui potestati nullatenus valet aliquid comparari qui nulla mutabilitate conuertitur sed semper in nature sue gloria perseverat (et faciens mirabilia tu es deus solus) qui et si alij faciunt tua virtute faciunt et per te faciunt. Oratur pro membris. Deduc me domine) id est meos (in via mandatorum tuorum) que via iusta et sancta est et posita in ea (ingrediar in veritate tua) proficere de virtute in virtute (letet cor meum) de spe remunerationis (semper tamen timeat nomen tuum) timore casto. Quod si feceris non ero ingratus quoniam Confitebor tibi)